



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

19. Dies Decemb. Dignus planè est morte, qui ribi recusat vivere. Bernard.  
super Cant.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

1016      *Christiani Militis*      Decemb.  
volare, non potero te amare ? En Christe; quia tu es  
Dominus cæli, & terræ, totius cæli, & terræ stipatus  
amoribus : Tibi procumbo, quidquid hic, vel illic  
immortalium flamarum collucet, illud totum tibi  
repræsento; ut amoris mei suppleant defectum. Illic  
in regione Veritatis gaudebo, videns in te uno, om-  
ne verum.

*Est pro ventre merum; pro mente, & pectore verum.*

### 19. DIES DECEMBER.

Dignus planè est morte, qui tibi recusat vivere. Ber-  
nard. super Canticum.

Christus I.  
est vita.

**C**ui potius oportet vivere; quæ  
ci, cui omnia vivunt? in quo  
vivimus, movemur, & sumus?  
qui est Auctor omnis vitae; qui  
est vita vitæ nostræ, qui sibi viventibus promittit vi-  
tam æternam? An non dignissimus morte, & qui-  
dem æternâ, & in eâ pœnis sempiternis, qui recu-  
sat ei vivere; ex quo, per quem, & in quo est omnis  
vita? Vivere Christo; est mori mundo: mori mundo,  
est nihil sapere eorum, quæ sunt mundi. Sicut cada-  
ver; si induatur purpurâ, & byssô, & non erigitur  
cas; si ab omnibus, ut Dominus omnium, prono-  
pice honoretur; varii proceres, cum ut Regem  
omni prosequantur cultu, non inflatur fastu: si illi  
appontantur selectissima fercula, suavissima bellaria,  
generosum massicum; nullum prodit famis indicu-  
um, edendi desiderium; omnia ei, quæ expetunt  
omnes, offerantur; ita se gerit, ac si nihil offertes;  
caret omnia motu, & sensu. Si talem te exhibeas  
circa bona muneli; mortuus es mundo: & sic mori-

mur.

decemb.

Tessera.

1017

mundo , est vivere Christo. Potestne fangi beatior vita; quam ejus, qui potest verè sine foco dicere cum Paulo: *Viva ego , jam non ego; vivit verò in me Christus?*

II. Quid jucundiùs; quam vivere ei, qui Immensitatis suæ circulo infinito continet omnem beatitudinem? cuius Potentiae, nihil est arduum ; sapientiae, nihil obscurum; Majestati, nihil non subditum ; Felicitati, nullum non gaudium illigatum. Cujus tota vita in amoribus Divinis decurrat ; ita ut ipsum ejus vivere, nihil sit , nisi Christum diligere. Ut ipsæ quas trahit, auræ , sint anhelitus amoris : ut omnes cordis reciprocationes , omnes arteriarum pulsus, omnes discursus spirituum , Christo dedicentur, tamquam nobiles impetus amoris ; ut Christo cor se agitat, ei pulmo respiret ; ei jecut sanguinem coquat ; ei sanguis in venas diffluat ; ei venæ micent; ei ossa durentur , ei nervi se tendant ; ei spiritus difflent ; ei calor vitalis æstuet ; ei medullæ pingueſcent : Christo denique soli nutriatur , vegetetur, crescat, sentiat, cogitet, velit, vivat, moriatur. Ut vi-  
vas Christo, debes sic aspirare ad ejus amorem , sicut corpus assiduè ducit anhelitum , auramque trahit. Nam si corpus affluxu aëris ; anima vivit influxu Amoris. Tametsi, ut animor erga suminum Bonum sit & ipse summus , debet cum aliquo discrimine æmulari anhelitum corporis : corpus aërem , quem ad se attraxit, mox velut inutilem rejicit ; & pulmonem respirandi officinam , perpetuâ vicissitudine claudens , referansque, quantum aura hausit , tantum remittit. Non cadat hoc in animum tuum; ut Christi amorem, quem semel admisit, remittat ; nam

Sss 5

quo

quo momento hoc faceret , à morte occuparetur; unica enim Animi vita , est Christum amare. Amoris in corde corruptio , est mortis in Anima generatio; illo fugiente, hæc accedit.

III. Imitare Davidem dicentem : (a) *Os meum aperui, & attraxi spiritum* , nec de illo remisso verbum adjungit. Sic cor tuum attrahat spiritum Amoris Divini; nec unquam illum remittat. Amor, tanquam spiraculum vitæ est ; quod Deus homini à se formato de limo terræ spiravit in faciem ; & reddi non potest, quin mors sequatur. Amor, est tanquam Spiritus sanctus; immo, est ipse Spiritus sanctus, quem Christus insufflando , Apostolis dedit: & utique voluit, ut repulsus ad se rediret. Anima igitur Christum, non respirando ; sed continenti tractu spirando Amorem. Amor ejus in corde tuo exundet, atque exstuet tanquam mare ; sed non, ut tanquam mare refluat, & retrò vertat. Motus perpetuus, cuius inventio adhuc humana ingenia fatigat; in Amore tuo erga Christum emineat. Ignis amoris tui in Christo amando accensus nunquam dicat, Sufficit. Non sit Amor tuus, ut Sol; qui ad arduam septentrionis plagam enixus, cursum convertit, & iter versus deprelsum mundi polum relegit. Nullum sit amoris tui solstitium, nulla conversio; ascendat semper, sine standi mora , sine damno relapsus, symbolumque suum habeat, Plus ultra. Modus amandi Christum, sit sine modo. Et quomodo, ô Christe ! amor meus, Divinitatem tuam ingressus , posset habere limites, cùm ad nullum appellere terminum possit : in immenso igitur perfectionum tuarum campo se perdit;

&amp;

(a) *Psal. 118.*

decemb.

Tessera.

1019

& metâ destitutus non sistit nec resilit; sed demum finitus, in spatio infinito evanescit: & quo vergat, nescit. Non offendit in Tे terminum, undē se reflestat; sed nec varietatem aliquam, per quam à rectitudine ardoris sui infractus feratur. Solis radius illapsus aëri, quanquam per illum se penetrat; quia tamē à puro & there intensius elementum incidit, à recto suo tramite aliquantum inclinatus desciscit. At amor meus, per simplicissimam naturam tuam progressus, omnesque perfectiones infinitas offendens; nullam causam nanciscitur, ob quam flammæ suæ in Teamando lapsum etiam modicè inclinet. Itaque modus, & motus amoris mei sit unica tua voluntas: solumque velim, quod tu ames; solum amem, quod tu velis.

*Quod cupis, ipse volo; quod non cupis, hoc quoq; nolo.*

## 20. DIES DECEMB.

Illa est vita hominum, ubi est lumen verum, quod illuminat omnem hominem. *S. Augustinus annotat. in Job c. 10.*

Christus, I.  
est lux  
mundi.

**S**ic se habet Deus erga genus humanum, & Christum: sicut oculus erga objectum suum, quod est, colores, & lux; sine luce omnes colores sunt inaspectabiles. Tollatur fons omnis lucis, Sol; & hortis venustas, nemoribus viror, cāpis amœnitas, palatiis splendor, mundo sua forma periit. Lux gemmis, lux floribus pulchritudinem præstat: à luce lmaragdus, & amarinthus virent; adamas, & narcissus albent; hyacinthus, & crocus flavescent; pyropus, & rosa purpurascunt. Sic Christus, lux mundi, facit,

ut